

cit: *Omnes, qui sanctificantur esse ex uno*, ubi includit omnes sine aliqua exceptione: ergo etiam quando postea dicit: *Non confunditur eos vocare fratres*, ly eos non refert omnes sine exceptione; imo esset Apostolus valde diminutus in probanda excellentia Christi super Angelos, ut facit eo capite, et præcedenti, si ad hoc assumeret ipsum sanctificare redemptos, qui sunt homines, et omitteret sanctificatos non redemptos, qui sunt Angeli, cum ex hoc efficacius probaret superiorem excellentiam Christi super Angelos.

XXX. Ratione vero dupliciter probari potest hæc sententia, sive veniret Christus ex suppositione peccati, sive non, sistendo specialiter in sententia D. Thomæ, quod Christus solum prædestinatus est in remedium peccati. Prima ratio in præcedenti articulo proposita fuit, et cum eadem proportione applicatur in præsentem, scilicet, quia omne meritum Christi ita fuit consummatum sua passione et morte, quod passio ejus, tam universalis causalitatis est, quam gratia ejus. Et quicumque excluditur a sanguine Christi, excluditur ab ejus merito, et gratia: sed Angeli non indiguerunt morte Christi, nec pro illis Christus mortuus est quantum ad suam justificationem: ergo non sunt sanctificati per Christum. Major satis probata, et ostensa est articulo præcedenti, minor asseritur ab Augustino in enchiridio, cap. LXI: « Qui, inquit, proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, non enim pro Angelis mortuus est Christus: » et Bernardus sermone in feriam quartam, hebdomadæ sanctæ, inquit: « Mihi passio Domini data est, quia alteri dari non potuit: numquid Angelo? Sed ille non eguit: numquid diabolo? Sed ille non resurgit. » Et evidenter convincitur ex illa consequentia, quam facit Apos-

tolus I ad Cor. v: *Unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt*: sed Angeli nunquam fuerunt mortui per peccatum; ergo nullo modo potest dici, quod pro illis mortuus est Christus, qui solum est mortuus pro mortuis.

XXXI. Respondet Suarez, et Cabrera meruisse Christum Angelis non per passionem suam, sed per alia merita: sed hæc solutio sufficienter exclusæ est articulo præcedenti. Et est eadem ratio in hac parte de Angelis, et de homine in statu innocentia; ibi enim ostendimus ita fuisse consummatum meritum Christi de facto per passionem Christi, ut idem sit excludi aliquem a sanguine Christi, et a merito Christi, quod ex dicendis amplius confirmatur.

XXXII. Apparentius responderi poterat ex doctrina Asturicensis ubi supra, Christum meruisse quidem pro Angelis per passionem suam sicut et pro se ipso; constat enim Christum pro se meruisse per passionem suam, juxta illud Lucae xxiv: *Nonne sic oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* et ad Philippens. II: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit, etc.* Ex quo deducitur argumentum contra Suarez et Cabrera: Quia si in his, quæ Christus pro se ipso meruit, consummavit meritum suum per passionem, et mortem; quanto magis in his quæ meruit pro Angelis, et pro statu innocentia?

XXXIII. Cæterum inde deduci potest apparens solutio, quia sicut hoc non obstante non possumus dicere Christum esse mortuum pro se, ut diffinitur in Concilio Ephesino, canone x, quia hæc locutio supponit aliquam indigentiam ratione peccati, ita potest dici, quod Angelis meruit Christus per suam passio-

nem, non tamen mortuus est pro illis.

XXXIV. Vel secundo dici posset in aliorum sententia, Christum non esse mortuum pro Angelis, quia non simpliciter meruit illis justificationem, sed solum novo titulo.

XXXV. Sed utraque solutio insufficientis est. Primo quidem, et si Christus non dicatur mortuus pro se, quia poterat tantum illam glorificationem jure connaturalitatis habere, tamen si Angeli ponuntur justificati per passionem Christi, et non aliter, simpliciter erant indigentes, et dependentes a passione Christi ut haberent gratiam non peccata, ita quod aliunde non poterant habere illam vitam: ergo simpliciter debebat virificari, quod Christus merebatur pro ipsis. Patet consequentia: Verificatur quod ipsi erant indigentes morte Christi ad suam justificationem: ergo verificatur, quod Christus mortuus est pro ipsis, si quidem pro illis vere est mortuus, qui vere indigebant ejus morte, sive privative essent mortui per peccatum, sive negative carerent vita gratia. Itaque simpliciter debebant sperare in Christum, cum per ipsum obtinerent gratiam et gloriam: ergo simpliciter carebant auxilio per Christum, et consequenter ratione hujus carentia verificatur, quod Christus mortuus est pro illis.

XXXVI. Secunda autem solutio valde deficit, quia si Christus solum meruit Angelis, ut alio titulo haberent gratiam; ergo simpliciter non fuerunt sanctificati per Christum: nam sine tali titulo adhuc haberent gratiam; ergo mors Christi non fuit illis simpliciter necessaria. Et manifestatur amplius, quia si homines aliunde, quam per Christum possent justificari, gratis pro eis mortuus esset Christus, ut habet Apostolus ad Galatas II: *Si enim per legem justitia; ergo gratis Christus*

mortuus est: ergo similiter si aliunde Angelis justitia, quam per Christum; ergo gratis pro illis mortuus est, et gratia pro illis meruit. Quis autem audeat dicere Angelos habuisse gratiam per Christum, et tamen gratis pro illis Christum esse mortuum; aut quas gratias deberent illi Angeli reddere? Vel quam dependentiam haberent a Christo, si etiam sine illo æque bene gratiam habere possent, solumque pro novo titulo sine nova re Christi sanguis illis deserviret?

XXXVII. Et ne dicatur Christum Dominum etiam meruisse sibi per mortem gloriam sui corporis, quam tamen titulo connaturalitatis habebat debitam, tamen dicere possumus, quod gratis meruit illam. Contra hanc instantiam urgetur argumentum: Nam præterquam quod est diversa ratio in gloria essentiali, quam accidentali, quia gloria accidentalis non inconvenit, quod habeatur illo duplici titulo, seu medio; gloria autem seu gratia essentialis, quia pertinet ad ipsam substantiam vitæ supernaturalis, inconveniens est quod habeatur ex meritis Christi, solum ratione novi tituli.

XXXVIII. Præter hoc (inquam in quo non facio vim) est evidens contra instantiam argumentum: Nam ille duplex titulus repertus in Christo, scilicet, jus connaturalitatis, et meritum passionis ad gloriam corporis, uterque erat per Christum, et ab ipsomet oriebatur, unde cedebat in magnam gloriam ut utroque modo illam haberet per seipsum. Cæterum quod Angeli haberent gratiam sine Christo plene, et perfecte, merita autem Christi solum deservirent illis ut novo titulo eandem gratiam haberent, hoc nullo modo cedit in gloriam, et excellentiam Christi, quia non facit Angelos simpliciter dependentes ab ipso, sed solum secundum quid, et de solo titulo.

XXXIX. Ut omittam, quod si semel intelligitur prædestinatio Angelorum perfecte, et complete contulisse illis gratiam sine meritis Christi, non potest intelligi quomodo postea compleatur ista prædestinatio per Christum, si quidem prædestinatio est infallibilis, et immutabilis in sua efficacia transmittendi ad gloriam, quia si ex vi primæ prædestinationis duplici illo titulo prædestinati sunt Angeli ad gloriam, sicut Christus ad gloriam sui corporis; ergo ex vi suæ prædestinationis necessario exigebatur uterque titulus, et sine altero non fuerunt sufficienter justificati. Quod est dicere concurrisse utrumque titulum in suo genere, non autem ut causam adæquatam, et totalem, quantum est ex vi prædestinationis, licet alias secundum se totalis esse possit.

XL. In sententia autem D. Thomæ quod Christus Dominus non veniret nisi Adamo peccante, multo facilius confirmatur hæc sententia, quia Christus Dominus non est prædestinatus ante prævisionem peccati, quia non est prædestinatus nisi ut redemptor, et consequenter supponebat peccatum in facto esse, et in executione, et tunc intravit efficax prædestinatio Christi in carne passibili. Quo supposito fit argumentum: Lapsus hominis fuit prævisus in executione ante prædestinationem Christi; ergo fuit prævisa executio illius peccati eo modo, quo facta est in individuo, quia prævisa est in permissione divina, quæ individualiter respicit illud peccatum, sicut et alia quæ cognoscit in sua permissione; sed hoc peccatum individualiter in executione processit ex deceptione diaboli; ergo præsupponit peccatum diaboli prævisum non minus, quam peccatum hominis ante prædestinationem Christi, quia hoc ab illo derivatum fuit: er-

go etiam præsupposuit physicam gratiam a qua diabolus discedit ante prædestinationem Christi: ergo etiam in aliis Angelis, qui non peccaverunt prævisa est etiam gratia ut perseverans ante omnem prædestinationem Christi, et consequenter ante omnem influxum meritum ejus, si quidem merita Christi non fuerunt prævisa ante prædestinationem, sed ex vi illius.

XLI. Neque Christus etiam ut finis intelligebatur antequam esset prædestinatus ut finis; ergo Angeli non obtinuerunt gratiam, et gloriam per Christum. Patet hæc consequentia, quia ex vi illius gratiæ in qua cadente diabolo perseveravit Angelus, obtinuit gloriam; sed illa gratia in qua perseveravit cadente diabolo, non fuit per Christum, sed ante ejus prædestinationem; ergo etiam gloria.

XLII. Solum video possent aliqui respondere huic argumento, quod lapsus primi hominis non fuit prævisus ante prædestinationem Christi in executione, secundum omnes circumstantias, præsertim illam, quod esset futurus ex persuasione diaboli, sed id complete, et plene fuit prævisum post prædestinationem Christi.

XLIII. Sed contra est, quod ante decretum prædestinationis Christi fuit prævisum peccatum hominis, tamquam materia officii redemptionis, si quidem ad tollendum illud fuit Christus prædestinatus; ergo prævisum est tale peccatum in executione ut efficaciter ponendum. Inquiri ergo in quo prævidit Deus tale peccatum in executione futurum. Non enim aliter prævideret illud, quam reliqua peccata, quæ modo videntur a Deo ut futura, scilicet in permissione efficaci illius; sed efficax permissio attingit peccatum singulare secundum circumstantias omnes, quibus in individuo

contingit: ergo non potuit Deus prævidere peccatum in permissione efficaci, nisi prævidendo omnes circumstantias illius: neque enim post prædestinationem Christi aliam permissionem habuit Deus circa illud peccatum, ut de novo intelligat aliquam circumstantiam illius, sed in vi primæ permissionis semper illud cognovit; ergo sicut modo intelligit omnes circumstantias, ita et tunc.

XLIV. Confirmatur, quia permissio efficax est pars providentiæ, quæ versatur circa illum statum ante prædestinationem Christi; sed providentiæ, quæ positive ordinabat res illius status, attingebat illas secundum omnes circumstantias in singulari, verbi gratia, quod Adam fieret extra paradisum; quod collocaretur in paradiso; quod imponeret nomina animalibus; quod immitteretur illi sopor; quod ex ejus costa fieret Eva, etc. omnia enim ista non fuerunt per Christum, sed ex vi providentiæ ordinantis illum statum in singulari; ergo similiter permissio peccati, quæ fuit pars hujus providentiæ, et quasi clausula illius status, etiam efficaciter in singulari attingit modum, et rationem, quo contigit talis lapsus, atque adeo quod fuerit ex persuasione diaboli.

XLV. Denique confirmatur, quia inconueniens est dicere, quod Deus ordinavit totum hoc universum in statu innocentiae cum creatione cœli, et terræ, et quod in ipso universo pro illo statu non præviderit Angelos, cum sint partes principalissimæ universi; imo pro illo statu vidit motum cœli, quia de fide est tunc fuisse veros dies, qui sine motu cœli esse non possunt: ergo etiam prævidit Angelos moventes cœlum. Si ergo Angeli prævisi fuerunt pro illo statu innocentiae ante prædestinationem Christi; ergo intelligebantur habere gratiam pro

illo statu, non minus quam homo, cum Angelus fuerit conditus in gratia, ut est concursus scholasticorum sententia in parte, quæst. LXI, sed pro illo statu nondum intelligebatur prædestinatio Christi, neque prævisio meritorum ejus, quæ solum in vi prædestinationis ejus prævisa sunt: ergo ante prævisionem Christi, et meritorum ejus intelligebatur gratia collata Angelis in facto esse, et in executione: illa autem gratia non est in illis interrupta, neque reparata, sed ex vi illius pervenerunt ad gloriam; ergo neque gratiam, neque gloriam habuerunt per Christum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XLVI. Ad argumenta pro contraria sententia. Ad primum ex auctoritatibus Scripturæ, quæ in generali loquuntur, respondetur illum locum ad Ephesios I sic intelligi a D. Thoma lect. III: « Instaurari omnia, quæ in cœlis sunt, id est, Angelos, non quod pro Angelis mortuus sit Christus, sed quia in redimendo hominem reintegratur ruina Angelorum: Psalm. cix: Implevit ruinas. » Et simili modo loquitur Paulus, quando dicit: *Pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.* Neque enim alius effectus illa instauratio est, quam ista pacificatio, cum pax ista fuerit instauratio tranquillitatis, et communicationis inter Angelos, et homines in ordine ad fruendum uno fine et instituendam unam Ecclesiam.

XLVII. Ad secundum ex Joannis XIV respondet D. Thomas super eundem locum lect. II sic: « Quia ergo ea, quæ Dei sunt, nemo novit nisi spiritus Dei, nullus potest venire ad notitiam Patris nisi per Verbum suum, qui est Filius, Matthæi XI:

Neque Patrem, quis novit nisi Filius, et sicut homo volens revelare verbo cordis, quod profert ore, producit quodammodo ipsum verbum, vel litteris, vel voce; ita Deus volens se manifestare hominibus Verbum suum conceptum ab æterno carne inducit in tempore, et sic nullus ad notitiam Patris pervenire potest nisi per Filium. » Ex qua doctrina colligitur, quod nemo venit ad Patrem nisi per Filium, tam Angeli, quam homo, sed homo per Filium carne relatum; Angelus autem per Filium ut est Deus.

XLVIII. Ad locum Apocalypsis patet ex ipso contextu, quod in illis verbis non loquitur de Angelis, sed de hominibus; post narratum enim prælium Angelorum cum diabolo, subdit: *Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte; et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem: ubi manifestum est non loqui de Angelis, sed de fratribus accusatis, qui non dilexerunt animas suas usque ad mortem, quod Angelis non convenit.*

XLIX. Ad alia testimonia, quæ specialiter loquuntur. Ad aliud ex capite quarto ad Romanos, respondet D. Thomas ibi lectione v, quod ly: «Plures secundum expositionem Augustini, non sumitur ibi comparative, sed absolute, ut idem valeat ac multi: » unde totaliter cessat argumentum.

L. Secundum autem S. Ambrosium ly plures sumitur comparative, sed tunc facit alium sensum, ut advertit D. Thomas, quia in illis prioribus verbis unius delicto multi mortui sunt, non sumitur secundum expositionem Ambrosii, pro delicto originali propagato in omnibus: sed pro quodam speciali de-

licto, scilicet idololatriæ, quod non per propagationem, sed per imitationem descendit ab Adamo; et respectu hujus delicti, quod abundavit in multos, sed non in omnes, gratia Domini nostri Jesu Christi abundavit in plures, quia etiam pro peccatis fidelium mortuus est. Utamque solutionem affert D. Thomas.

LI. Ad secundum locum capituli ad Hebræos II respondet D. Thomas lect. III, quod illud verbum multos filios ad gloriam adduxerat, intelligitur de hominibus, et non de Angelis; et dicitur, quod adduxerat illos secundum prædestinationem, id est, adducendos præparaverat, ut per mortem Christi in executione consummaretur eorum salus. Et favet huic expositioni nova correctio Romana, ubi non legitur in passiva auctorem salutis eorum per passionem consummari, sed in voce activa, et est sensus, quod decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, id est, adducere decreverat cum esset auctor salutis eorum, eos per passionem consummare, scilicet homines.

LII. Ad auctoritatem Bernardi, ex ejus contextu patet solutio. Loquitur enim de Christo ut Deus est, non ut homo, respectu Angelorum, ut constat ex verbis antecedentibus: «Quoniam, inquit, qui erat Angelis, factus est nobis:» et paulo ante: «In principio sapientia erat, erat sanctificatio, et redemptio, sed Angelis ut esset, et hominibus, fecit eum hæc omnia, Pater et fecit, quod Pater.» Supponit ergo Bernardus, quod antequam factus esset homo, erat Angelis in principio sanctificatio, et redemptio. Quomodo autem sit Angelorum redemptio, cum ipsi non habuerunt peccatum a quo redimerentur, explicat in verbis citatis in argumento, intelligendo redemptionem largo modo pro præservatione

ne caderent; factam tamen a Christo ratione divinæ naturæ, non humanæ. Et similis responsio est ad Fulgentium, quia eodem modo fere loquitur.

DEFENSIO D. HIERONYMI CONTRA VAZQUEZ.

LIII. Quod attinet ad S. Hieronymum audacter, et irreverenter de tanti patris reverentia loquitur pater Vazquez disput. XLIX, cap. v, in principio, cum respondens testimonio S. Hieronymi hæc verba evomit: «Primum testimonium quod est Hieronymi in caput primum, et secundum epistolæ ad Ephesios, nullius momenti censi debet, eo quod juxta omnium sententiam manifestum errorem contra fidem contineat; tametsi non satis constet utrum ex propria, an ex alterius sententia docuerit.» Hæc Vazquez. Ergo juxta ipsum non satis constat, an Hieronymus hæreticus fuerit, vel non; nam si id, quod ibi docet, continet manifestum errorem, et non satis constat, an sit ex propria sententia Hieronymi, vel alterius; ergo in sententia Vazquez sub dubio manet, an Hieronymus sit hæreticus, quia si propria sententia ejus est, ut hæreticus est indicandus, et hoc a Vazquez. Quis autem fidelium tantam maculam maximo Scripturæ doctore inferat?

LIV. Magis remissius infra ait: «Quod attinet ad Hieronymum existimo errorem memoratum non docuisse ex propria sententia, sed ex aliorum libris, aut Origenis, aut Apollinaris, aut Didymi, etc. Cum tamen paulo ante reliquisset probatum non esse tribuendum illum errorem Origeni, dum inquit: «Quod ait Hieronymus sanguine Christi purgatos fuisse Angelos, non video quomodo Origeni tribuendum fit.»

Quare frigida ista existimatio patris Vazquez pro Hieronymo, potius illi errorem tribuit, quam defendat eum; nam si Hieronymus ex aliorum libris illas propositiones desumpsit, et illæ in sententia Vazquez manifestum continent errorem, culpabilis redditur Hieronymus, qui talem errorem docuit, licet ex aliorum libris illum doceat. Non enim licitum est errorem docere aut adducere ex libris aliorum, nisi adducatur ad impugnandum. Quare Vazquez, qui in prima propositione sub dubio reliquerat, an Hieronymus ex propria, vel aliena sententia illum errorem docuerit, in secunda sine omni dubio manifestam culpam Hieronymo impingit, quia talem errorem docuerit ex libris aliorum, et non ex propria sententia.

LV. Ego autem vehementer admirans istius hominis audaciam, sic præcipitanter in tantum Ecclesiæ doctorem irruentis, videtur mihi Hieronymum acri illo stylo, quo calumniatores suos ventilavit, ipsum Vazquez configere, et confringere; et sicut olim Rufinum, qui commentarios hujus, epistolæ ad Ephesios calumniabatur, et responsiones suas Hieronymus contrivit, ita hanc festucam spiritu suo exsufflare videtur, dum calumniatores suos notans, præfatione in librum primum commentariorum super Jeremiam, ita inquit: «In eo se scire aliquid arbitantes si de alienis operibus detrahant, ut nuper indoctus calumniator erupit, qui commentarios meos in epistolam Pauli ad Ephesios reprehendendos putat, nec intelligit, nimia stertens vecordia, leges commentariorum, in quibus multæ diversorum ponuntur opiniones, vel tacitis vel expressis auctorum nominibus, ut lectorum arbitrium sit quid purissimum eligere debeat discernere, quamquam in primo ejusdem operis libro præfatus sim, me